

1320-1320- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Rothomagum Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capitulo generalis apud Rothomagum celebrati
 anno Domini · M° · CCC° · XX° .

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales: Ungarie et ponimus ibi vicarium fratrem Petrum Custodem, donec predicta provincia habeat priorem provincialem confirmatum presentem, vel vicarium ab eodem datum; Aragonie, provincie Provincie, quia factus est sororum de Aquis prior de voluntate domini pape.

Et conventuales Belvariensem, sancti Iohannis, Poliniacensem, Aurelianensem, Carnotensem, Belvacensem, Leodiensem, Ambianensem, Senonensem, Pruvinensem, Verdunensem, Metensem, Cenomanensem, Claramontenensem; et volumus, quod predicti in eisdem provinciis et conventibus, isto anno, ad ea officia non reasumantur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: quod ad aliquem tractatum eorum, que mittenda sunt ad capitulum generale vel provinciale, addatur: et quicumque convictus fuerit vel confessus, iudicaliter de lapsu carnis vel de furto aut carceri mancipatus vel apostataverit aliquo crimine perpetrato, in perpetuum sit omni voce privatus nec possit habere officium prioratus vel supprioratus vel lectoratus, nec possit ad predicta vel ad aliquod predictorum restitui nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale. Et hec habet duo capitula. Et ordinamus, quod predicta medio tempore inviolabiliter observentur.

Declaramus autem, quod carceri mancipati intelliguntur, qui per diffinitivam sentenciam sunt carceri deputati.

Confirmamus hanc: Ut gloriosi martyris beati Petri reverencia populorum cordibus arctius imprimatur, volumus, quod in matutinis et vesperis post memoriam de beato Dominico, patre nostro, fiat memoria de eodem. Et hec habet tria capitula. Et signetur in ordinariis loco suo. Fiat autem memoria de beato Petro et officium de corpore Christi, donec magister ordinaverit de eisdem.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Cum in constitutionibus nostris caveatur sub privacione vocis, quod nullus frater per se vel per alium ordinacionem factam de se vel de alio procuret revocari per personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam, volumus et districte iniungimus prioribus provincialibus ac conventionalibus vel eorum vicariis et visitatoribus, quod quicumque contra predictam constitutionem fecerint, denuncient eos voce privatos, volentes et mandantes eisdem, quod super hoc diligenter inquirant ac sub precepto dictam penam faciant inviolabiliter observari.

Insuper, volumus et ordinamus, quod quicumque correctionem de se vel de alio factam vel fiendam per easdem personas procuraverit impedire, cum hoc iudicaliter constiterit, per priorem provincialem vel diffinitores capituli provincialis pena corrigendo debita puniatur.

Item ordinamus, quod nullus fratrum recipiat vicariam generalem, visitacionem, correctiones quascumque, penitenciariam vel officium inquisitionis cum execuzione a quocumque prelato extra obedienciam nostri ordinis constituto sine licencia magistri ordinis vel prioris provincialis. Quicumque autem aliquid predictorum sine predicta licencia acceptaverit et executus fuerit, omni officio habito et habendo per priorem provincialem vel diffinitores capituli provincialis privetur et ulterius secundum exigenciam culpe gravius puniatur.

Eadem eciam culpam incurrire volumus nunc habentes aliquod de predictis officiis, nisi infra mensem a noticia presentis ordinacionis resignaverint vel licenciam obtinuerint exequendi, adiuentes, quod nullus recipiat commissionem cuiuscumque gracie particularis vel officii ab eisdem sine licencia sui prioris; facientes autem contrarium graviter puniantur.

Item. Cum electiones nostre debeant esse libere, volumus et ordinamus, quod quicumque in aliqua electione vel tractatu directe vel indirecte aliquem induxit ad aliquem eligendum vel non eligendum, sit per triennium voce privatus.

Item. Cum in aliquibus provinciis instantibus electionibus vel tractatibus in diversis conventibus fratres aliqui sint assignati vel amoti contra ordinaciones capitulorum plurium generalium, prioribus provincialibus et eorum vicariis districte iniungimus, quod de cetero a talibus assignacionibus vel amocationibus abstineant. Quod si contrarium fecerint, provinciales per magistrum ordinis vel capitulum generale, vicarii vero per provinciales gravius puniantur¹.

Item. Cum ex insufficiencia et insolencia aliquorum fratrum missorum ad studia generalia ordo noster interdum paciatur iacturam, inhibemus districte prioribus provincialibus et aliis universis, ad quos mittere pertinebit, ne fratres de criminibus notatos aut insolentes vel insufficientes scienter mittant ad aliquod studium generale. Si qui autem contrarium fecerint, per magistrum ordinis vel capitulum generale gravius puniantur, et nichilominus, si qui in predictis studiis inventi fuerint criminosi aut notabiliter insolentes, per priorem provincialem de consilio et assensu prioris, lectoris, bachelarei et magistri studencium in conventu, cum legitime constiterit, ad suas provincias remittantur, vel si magis ipsis videbitur, ibidem secundum exigenciam culparum puniantur. Volumus et

¹ Cf. supra pag. 102 l. 31 sqq.

mandamus, quod studentes religiose et quiete se habentes et studio sollicite intendentes, benigne et caritative tractentur et in suis graciis et immunitatibus integraliter conserventur. Et vult magister ordinis, quod dicta ordinacio eciam ad studentes, qui sunt de sua gracia, extendatur.

Item. Cum in constitutionibus nostris caveatur, quod nullus frater, excepto magistro ordinis, qui in communione tolerari possit, habeat locum ad iacendum speciale etc., volumus et districte mandamus prioribus universis et eorum vicariis, quod dictam constitutionem faciant diligencius observari nec cum aliquo dispensem, nisi ex causa legitima et hoc de consilio discretorum; qui autem contrarium fecerint, per priorem provincialem a suis officiis absolvantur.

Item. Cum ex hoc quod nonnulli fratres de medicinalibus se intromittant, pericula et turbaciones frequentes oriantur, inhibemus districte et iniungimus fratribus universis, quod de medicinalibus se nullatenus intromittant nisi de licencia magistri ordinis vel prioris provincialis. Quicumque autem practicaverint vel de medicinalibus se intromiserint, eciamsi licenciam a predictis habuerint, quodcumque emolumenntum habuerint, ex nunc pro tunc conventibus deputamus; contrarium autem facientes per priores suos arceantur et graviter puniantur.

Item. Cum ex insufficiencia predicationis et confessiones audiencium ordo noster veniat in contemptum et vergat in periculum animarum et plurium sequatur scandalum prelatorum, volumus et ordinamus, quod fratres ad predicta nullatenus exponantur, nisi secundum formam super hoc in nostris constitutionibus comprehensam. Quod si contrarium actum fuerit, per priorem provincialem tales a dictis actibus penitus amoveantur, el priores vel eorum vicarii tales exponentes vel sustinentes aut disimulantes in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Cum fratres assignati episcopis vel aliis quibuscumque personis extra ordinem constitutis statuta ordinis servare teneantur, volumus et districte iniungimus, ut dicta statuta et specialiter circa esum carnium teneantur strictius observare. Quod si contrarium fecerint, per priorem provincialem ad claustra revocentur, nisi forte licenciam habeant summi pontificis, de qua per ipsius patentes literas fidem facere teneantur, nisi forte viva voce regum aut cardinalium hoc constaret. Ad hanc autem ordinacionem non intendimus obligare fratres, qui cum dominis cardinalibus commorantur.

Item. Volumus et ordinamus, quod ordinaciones capituli Lugdunensis ultimo celebrati², de non deponendis pecuniis, libris, iocalibus apud seculares, de apostatis et debitibus non contrahendis, et capituli Carcassonensis³, de criminibus publicis non punitis non revelandis, de sequela scolarum, et quod soli lectores principales socios habeant, de non comedendo extra loca statuta, de non veniendo ad magistrum ordinis sine licencia priorum provincialium vel conventionalium, de sequela communitatis per priores et fratres alias diligencius observanda arctius observentur.

Item. Volumus et ordinamus, quod ordinacio capituli Caturicensis de procurando in testamentis et questis magis utilitatem communem quam propriam et de restituendo, quod ad communem utilitatem pervenire debuisse, si persone private fuerit ab aliquo procuratum, inviolabiliter servetur, ita tamen, quod prior cum restituente vel restituente valente valeat dispensare⁴.

Item. Cum de canonizacione fr. Thome de Aquino bona spes habeatur, volumus et districte iniungimus prioribus provincialibus, quod tot florenos ad sequens capitulum generale mittere teneantur, quot fratum conventus in suis provinciis habeantur; quem florenorum numerum per conventus suarum provinciarum condividant, secundum quod eis videbitur expedire.

Item. Ordinamus et districte inhibemus, ne predicatores generales fiant isto anno in illis provinciis, in quibus numerus ipsorum predicatorum generalium numero conventionalium sue provincie maior fuerit vel equalis. Poterunt tamen loco illorum, qui ad capitula convenienter venire non possunt, alii substitui iuxta numerum eorumdem; nec tamen propter hoc illos intelligimus esse absolutos.

Item. Districte iniungimus prioribus universis, ut de falsificantibus literas magistri ordinis diligenter inquirant et quos circa hoc invenerint deliquesce, iuxta tenorem nostrarum constitutionum puniant et superaddant, secundum quod culparum exigencia hoc requiret.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater directe vel indirecte per se vel per alium extra obedienciam nostri ordinis constitutum procuret, quod frater aliquis de provincia vel conventu expellatur vel capiatur. Quicumque autem contrarium fecerit, cum legitimate constiterit, per priorem provincialem vel conventionalem carceri mancipetur.

Item. Volumus et districte iniungimus prioribus provincialibus universis, quod si aliquis frater inveniatur in eorum provinciis apud principes et prelatos commorans sine licencia ordinis, teneantur ei significare, quod ex privilegio papali possumus eos revocare, quocumque indulto apostolico in contrarium non obstante, et eum sub precepto ad conventum quantocius revocare.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu magistris et bacalareis studiorum Parisiensis, Oxoniensis et Cantabrigiensis, quod apiores tam in sciencia quam in vita de dictis provinciis ad legendum sentencias debeat nominare.

² Cf. supra pag. 108 l. 7 sqq.

³ Cf. supra pag. 115 l. 1 sqq.; et pag. 58 l. 20 sqq.

⁴ Cf. supra pag. 116 l. sqq.

Item. Volumus et ordinamus, quod mare magnum Benedicti pape, Bonifacii vel Clementis in conventibus, ubi habentur, et acta capitulo huius anni saltem semel in duobus mensibus in refectorio legantur in mensa vel in capitulo.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, ne frater aliquis cuiuscumque condicionis et status existat, ad Romanam curiam presumat accedere vel ad unam dietam appropinquare sine eiusdem licencia speciali.

Concedit tamen idem magister ordinis singulis provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negotiis multum urgentibus et necessariis ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Item. Volumus et ordinamus ac districte iniungimus provincialibus universis, qui isto anno · v · florenos procuratori ordinis non miserunt, quod sub pena dupli de sibi appropriatis ad sequens capitulum mittere teneantur.

Letania more solito dicatur.

Concedimus provincie Anglie duos conventus, unum ponendum apud Vincheleseyam, alium in Herfordia. Lombardie superiori unum ponendum, ubi videbitur capitulo provinciali. Provincie regni Sicilie monasterium sororum ponendum in Tharenta. Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno, fratrem Hugonem de Vausemain⁵.

Committimus reverendo patri magistro ordinis, quantum nostra interest, provisionem bacalarei Parisiensis de provincia interiori, et ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris, bacalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Vult magister ordinis de consilio et assensu diffinitorum, quod ordinacio, que cavit, quod ille, qui legit sentencias anno precedenti, sit magister studencium in sequenti, in studiis generalibus et sollempnibus inviolabiliter observetur⁶.

Sentencias iudicium approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus apud Florenciam in Romana provincia et ordinamus, quod diffinitores, qui anno sequenti diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante · vi · feriam vigilie pentecostes precedentem.

Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerit vel loco capitulo cum intencione veniendi appropinquaverit, ex vi presentis ordinacionis sit per biennium omni voce privatus. Item. Volumus et ordinamus, quod diffinitores anni presentis et socii eorundem in redeundo de capitulo generali bene et curialiter recipiantur et caritatively tractentur et pro facultate conventuum melius procurentur.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro summo pontifice quilibet sacerdos quatuor missas et in quolibet conventu ponatur hebdomadarius pro eodem.

Pro collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos duas missas. Pro venerabili patre domino Ostensi et Veletriensi⁷ quilibet sacerdos unam missam.

Pro venerabili patre domino Nicolao tituli s. Eusebii⁸ presbitero cardinali quilibet sacerdos duas missas.

Pro venerabilibus patribus dominis Tusculano⁹ Portuensi¹⁰ Albanensi¹¹ episcopis, domino de Pelagrua, R. de Fabricis domino B. de Garvo¹² diaconibus quilibet sacerdos duas missas. Pro reverendo domino archiepiscopo quilibet sacerdos unam missam. Pro dominis abbatibus s. Dyonisii in Francia et s. Germani de Pratis quilibet sacerdos unam missam. Pro fratre Petro Ferandi et quondam consorte sua, nunc sorore nostra, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino domino Philippo rege Francie et Navarre, domina regina consorte sua ac liberis eorum quilibet sacerdos tres missas.

Pro rege Anglie quilibet sacerdos tres missas.

Pro rege Sicilie etc. quilibet sacerdos unam missam.

Pro domina regina Clemencia quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro papa Clemente¹³ quilibet sacerdos unam missam. Pro domino Iacobo, nepote suo¹⁴, cardinali quilibet sacerdos unam missam.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXII.

⁵ Cf. supra pag. 116 l. sqq.

⁶ Cf. supra pag. 119 l. 6 sqq.

⁷ De fr. Nicolao cf. supra pag. 103 l. 29.

⁸ De fr. Nicolao tit. s. Eusebii cardinali cf. ibid.

⁹ Berengario Fredoli sen. cf. supra pag. 94 l. 27.

¹⁰ Berengario Fredoli iun. ibid. l. 28

¹¹ Arnaldo de Auxio; cf. supra pag. 95 l. 5.

¹² De A. de Pelagrua, R. de Fabretis, B. da Garvo cf. supra pag. 94 l. 24 sq.

¹³ Obiit Clemens papa V. die 14 Aprilis 1314. Cf. EUBEL l.c. pag. 13.

¹⁴ Iacobo de Via, Caturcensi tit. ss. Ioh. et Pauli 18 Dec. 1316; † 13 Junii 1317. Cf. l.c. pag. 14

2 Iacobo de Via, Caturcensi tit. ss. Ioh. et Pauli 18 Dec. 1316; † 13 Iunii 1317. Cf. l.c. pag. 14